

unum principem quam plures, et ex isto sequitur, quod melior est dispositio omnium hominum, si habeant unum principem quam si habeant plures. Et confirmatur in divina scriptura expresse ista ratio Proverbia 28: propter peccata terre multi principes eius ⁹⁾). Unde habetur, quod multitudo principum est pena peccati et per consequens malum et ideo unitas principis ei opposita est quid bonum.

Secunda ratio est, quod ^{a)} optima dispositio principatus temporalis est in conformitate ad principatum spirituales, sicut inferiora meliora sunt, quanto plus superioribus conformantur, velut ^{b)} bruta quanto magis ad hominem appropinquant. Sed in ^{c)} principatu spirituali secundum optimam sui dispositionem est dare unum principem primum solum. Ergo idem est in ordine regiminis temporalis secundum optimam sui dispositionem possibilem. Minor probatur ^{d)} dupliciter. Primo auctoritate Dyonisii, qui ponit unam ierarchiam subcelestem ^{e)}, que est ecclesiastica, et in omni ierarchia secundum ipsum est devenire ad unicum primum ierarcham ^{f)}, ut declarat etiam in celestibus ierarchiis ¹⁰⁾. Secundo probatur minor, quia in descriptione symboli apostolorum beatus Symon Chananeus ¹¹⁾ descripsit articulum de unitate ecclesie dicens: et in unam ^{g)} sanctam catholicam etc.^{g)}, in singulari ponens eam. Unitas autem ecclesiastica non ^{h)} est nisi unitas ierarchica ^{h)} id est ordo ⁱ⁾ sacer ⁱ⁾. Set nullus ordo habet unitatem nisi quoad ^{j)} aliquod primum, ad quod omnia que sunt in isto ordine reducuntur ^{k)}. Ergo ecclesia non potest habere unitatem nisi in habitudine ad unum principem ^{l)} primum.

Tertia ratio, quia eadem ratione, qua plures homines simplices in multitudine hominum indigent uno principe ipsos regulante et iudicante ¹²⁾, unde exprimitur, quod nulla pluralitas quantumcumque mo-

^{a)} quia *statt* est quod P 2. ^{b)} ut P 2. ^{c)} *fehlt* P 1. ^{d)} minora probantur P 2. ^{e)} *subsedentem* P 1. ^{f)} *monarcham* P 2. ^{g)} *fehlt* P 2. ^{h)} non — ierarch. *fehlt* P 2. ⁱ⁾ *ordinis sacri* P 2. ^{j)} *statt* quoad: modo ad P 2. ^{k)} *reducuntur* P 2. ^{l)} *principium* P 2.

⁹⁾ *Prov. 28, 2.*

¹⁰⁾ *Gemeint ist offenbar De eccl. hierarchia 5, 5 Migne PG. 1, 506 B. Vgl. auch De celesti hierarchia 3, ebenda col. 163 ff.*

¹¹⁾ *Nach einer alten Sage sollte ein jeder der Apostel ein Glied zum Symbol beigezeichnet haben; vgl. A. Harnack, Prot. Realencyclopädie³ 1, 744.*

¹²⁾ *Vgl. dazu den Kommentar des Thomas zur Metaphysik ed. Fr. Cathala (1926) Proömium S. 1: sicut docet Philosophus in Politicis suis, quando aliqua plura ordinantur ad unum, oportet unum eorum esse regulans sive regens et alia regulata sive recta; s. Lapparent S. 53.*